



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria

Dionysius <Cartusianus>

Coloniæ, 1532

VD16 D 1926

Elucidatio 8 cap. Facta est autem art 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38702

IN ACTA APOS. EXEG.

pro interfectoribus suis, & interfectoribus tam crudelibus genua flectens orauit. In quo mira ipsius patientia & perfecta charitas declaratur, & quod superiora verba, non ex aliqua inordinata auersione, sed ex zelo iusticie atque amoris magnitudine protulit. Secutus est autem Stephanus documenta & opera Christi tam sublimiter & conformiter implens quod docuit Christus. Orate pro persecuentibus & calumniantibus vobis, & sequens quod egit in cruce, pater inquitens ignosce illis. Sed nunquid tam sanctissima oratio Stephani poterat esse infructuosa? Nequaquam. Imo eius virtute Paulus creditur illustratus. Et cum hoc dixisset obdormiuit in domino. Nam de corporis occisione, perrexit ad quietem dulcissimam patrie, & feliciter prorsus obdormiuit in domino, qui eum in suae immensae claritatis assumpsit, demersit, absorbitque abyssum. Saul autem erat consentiens neci illius tanquam persecutor ecclesie, iccirco princeps culpe, secundum quod ipse postea docuit, quia morte digni sunt, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Mat. 5.

Luc. 23.

[Rom. 1.]

¶ Explanatio capituli octaui. Facta est autem.

Articulus octauus.

Facta est autem in illa die qua lapidatus est Stephanus. Persecutio magna in ecclesia quae erat Hierosolymis. Stephano namque qui post Apostolos fuit vnus de primis in fratribus tanquam blasphemus extincto succensus est furor perfidorum Iudaeorum contra conuersos ex iudaismo, coeperuntque persequi eos atrociter & omnes discipuli, vel pene omnes seu notabiliores & famosiores dispersi sunt. Egrediendo Hierusalem, per regiones Iudaeae scilicet, duarum tribuum & Samariae id est, decem tribuum praeter Apostolos qui tanquam dominici gregis arietes fuerunt constantiores, imo in hoc Christi doctrinam sunt imitati.

CAPVT VIII F. XXXXVIII.

dicentis. Cum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Denique dispersio ista occasio fuit salutis multorum, dilatationisque fidei inter eos ad quos perueniunt dispersi, ppter quod Beda fatetur. Dei nutu id gerebatur vt tribulationis occasio, fieret euāgelij seminarium. Constat quoque quod ab exordio primitiuae ecclesiae fides persecutionibus non est minorata, sed aucta, deo fidei veritate tuete, monstrante & glorificante, alias milies fuisset extincta. Curauerunt id est, cum diligentia & cura sepelierunt. autem Stephanum viri timorati qui fuerunt ex Iudaismo conuersi, filialem habentes timorem ad deum, & coram eo solicate & cum metu & reuerentia ambulantes, quos imitari debemus, inter qs Gamaliel fertur fuisse. Vnde patet quod non penitus oēs Christiani a Hierusalem tunc fugerunt praeter apostolos & fecerūt planctum magnum super eum. Non propter damnum occisi, (imo triumpho & glorificationi eius congratulati noscuntur) sed ex desyderio martyrizati, tam dulcis & optimi fr̄is desyderantes habere praesentiam, maxime quando primitiua ecclesia adhuc erat tam parua. Fuit quoque consuetudo Iudaeis, defunctos suos praesertim spectabiles vehementer deplangere. Circa hunc locum Scholastica habet historia. Tunc apostoli videntes, quod ad gētes essent postmodum transaturi, ordinauerunt Iacobum Alphai filium episcopum Hierosolymorum, & imposuerunt ei manus Petrus, Iacobus & Ioannes. Ideo non a paucioribus quam a tribus episcopis, episcopus hodie consecratur. Saulus autem deuastabat ecclesiam id est, Christianos persequebatur per domos eorum intrans ad q̄rendum eos viros ac mulieres fideles trahens, tradebat in custodiam id est, in carcerem. In quo crudelitas eius ostenditur, quod nec aetati pepercit nec sexui. Verū ignorās in in crudelitate fecit, paternarum suarum traditionum abundantius aemulator existens. Igitur qui dispersi erant pertransibāt per loca Iudaeae atque Samariae euangelizantes. id est, predicantes verbum dei. Consequenter sanctus Lucas

Gala. 1.

IN ACT. APOS. EXEG.

describit secundi diaconi inter septem prædicationem
 & opera. ¶ Philippus autem ¶ qui supra legitur statim
 post Stephanum in diaconatum electus ¶ descendens
 in ciuitatem Samariæ ¶ Samaria nunc accipitur nõ pro
 tora regione decem tribuum, sed pro ciuitate eius me
 tropoli ¶ prædicabat illis Christum. Intendebant au
 tem turbæ ¶ habitantes Samariam ¶ his quæ a Philip
 po dicebantur vnanimiter audientes, & videntes signa
 quæ faciebat. ¶ Ex hoc loco & item ex his quæ Ioannis
 quarto leguntur, monstratur quod Samaritani hi, pm
 pti fuerunt ad suscipiendam euangelicæ legis doctri
 nam. Nam ibi habetur quemadmodum rogauerunt Chri
 stum, vt apud eos maneret, & quod multi eorum credi
 derunt in ipsum, dicentes, quia hic est vere saluator
 mundi. ¶ Multi enim eorum qui habebant spiritus im
 mundos ¶ puta obsessi ¶ clamâtes voce magna exhibãt
 ab obsessis, diaboli inuite Christi potestate compulsi.
 ¶ Multi autem paralytici & claudi curati sunt ¶ a Phi
 lippo. ¶ Factum est ergo gaudium magnum in illa ci
 uitate ¶ quia de sua illuminatione, conuersione, infir
 morum curatione, cæterisque dei beneficijs magnifi
 ce sunt gauisi. ¶ Vir autem quidam nomine Simon, q
 ante fuerat in ciuitate ¶ Samariæ ¶ seducens gentem Sa
 mariæ dicens se esse aliquem magnum ¶ scilicet aut va
 tem, seu filium dei, vel Christum ¶ cui auscultabãt om
 nes a minimo ¶ ratione vtente ¶ vsq; ad maximum
 dicentes. Hic est virtus dei quæ dicitur magna. ¶ Nam
 propter mira quæ arte magica fecit, putabant qd esset
 filius dei, & virtus ei⁹, quemadmodum de Christo ait
 apostolus Prædicamus Christum dei virtutem & dei sa
 pientiam, imo vt scribit Hieronymus Simon hic in tā
 tam prorupit superbiã vt diceret. Ego sum sermo dei,
 ego virtus dei, ego omnipotens. ¶ Attendebant autem
 cum propter quod multo tempore magicis suis demẽ
 tasset ¶ id est, mentis recto iudicio priuasset ¶ eos ¶ vt
 falsa pro veris susciperent. ¶ Cum autem credidissent
 Philippo ¶ qui ante crediderant Simoni ¶ & in nomi
 ne Iesu Christi baptizarentur viri ac mulieres, tunc ¶

i. Cor. i.

mon & ipse credidit. ¶ Aliqui dicunt qd ad tps ye credidit, sed post ad vomitum redijt. In Scholastica vero historia fertur, quod sicte credidit & sicte baprisma suscepit, vt Philippo familiariter adhærendo ab ipso dē sceret artem talia signa agendi, qualia fecit Philippus Vnde Beda hic ait. Vel beati Philippi verbis & virtute deuictus veraciter domino credidit, vel (quod magis credibile est) credere se quousque baprisma suscipere similauit, vt quoniam laudis erat audissimus, ita vt Christum se credi velit (vt narrant historix) artes ab eo quibus miracula faceret disceret. Quod etiam suosores eius fecerunt, qui authoris sui malignis artibus instituti, ecclesiam qualibet arte ingredi & baprisma furari soliti erant. ¶ Et cum baptizatus esset adhærebat Philippo. ¶ modo prædicto. Est autem consuetudo scripturæ rem gestam narrare eo modo, quocum fieret, ab omnibus fieri putabatur, vt ait Hieronymus. ¶ Videns etiam signa & virtutes maximas. ¶ Id est, præclara valde miracula. ¶ fieri. ¶ per Philippum, qualia ipse nunquam facere quijt. ¶ stupēs admirabatur. ¶ maior fieri vere, quam ipse fecerat sicte. ¶ Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum dei. ¶ hoc enim (vt dicitur) Philippus iste eis insinuauit, rogans vt quidam eorum venirent Samariam ad imponendum manum baptizatis, quatenus in signo visibili reciperent spiritum sanctum. Nam manus imponere baptizatis fuit officium apostolorum, sicut & nūc epōs, qui sunt successores illorum. Ex quibus constat, qd Philippus iste non fuit apostolus. ¶ miserunt ad eos Petrum & Ioannem. ¶ Si alij apostoli miserunt hos duos principales apostolos, cur Arrius finxit vnigenitum dei filium, patre esse minorem, quia a patre est missus. ¶ Qui cum venissent, orauerunt, p̄ ipsis vt acciperent. ¶. ¶ cum signo sensibili, vt cum dono linguarum. ¶ Nondum enim in quenq̄ illorū venerat. ¶ cum signo visibili, inuisibiliter tñ venit in eos, q̄a in baprisma receperunt remissionē & gratiā iustificantem, sicut nunc baptizati recipiunt. ¶ sed bap

IN ACTA APOS. EXEG.

tizati tantum erant in nomine domini Iesu. Quod ait, tantum, refertur ad nomen, baptizati, vt sit sensus, q̄ sic erant baptizati, quod nondum cum signo sensibili spiritum sanctum erant sortiti .i. cum signo sensibiler demonstrante spiritus sancti infusionem. Quare autem & quo sensu in primitiua ecclesia fiebat baptismus in nomine Iesu Christi, dictum est secundo capitulo.

¶ Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. ¶ cum signo visibili sicut nunc dictum est, & cum plenitudine gratiæ amplioris, secundum quod maius aut minus, ad hoc per mentis deuotionem se disposuerunt. ¶ Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus. ¶ cum huiusmodi signo visibili ¶ obtulit eis. ¶ vide licet Petro & Ioanni ¶ pecuniam dicens. ¶ Date & mihi hanc potestatem, vt cuiuscumq; imposuero manus accipiat spiritum sanctum. ¶ In hoc multipliciter Simon peccauit. Nam & cupiditate lucri voluit hanc potestatem mercari, quatenus impie emptam potestatem, alij quoque venundaret, & propter lucrum, manus imponeret. Item quod pro temporali, spiritale bonum emere affectauit. Hinc a Simone isto Simoniaci nominantur, qui pro temporali spiritale emunt & vendunt. Qui venditores, etiam dici possunt Giezitæ, a Giezi ministro Helizei, qui a Naaman Syro sumpsit pecuniam pro beneficio curationis a lepra. ¶ Petrus autem dixit ad eum. ¶ zelo iustitiæ, & vt futuris obuiaret periculis. ¶ Pecunia tua tecum sit in perditionem. ¶ id est, eam nolo, sed iustum est te eam capere. Porro sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non affectu ultionis sed æquitatis id agunt. ¶ quoniam donum dei. ¶ spiritale, quod in baptismo confertur. ¶ Lexistimasti pecuniam possideri. ¶ quasi esset tam vile, vt corporalibus compararetur. Hinc ait Saluator. Gratis accepistis, gratis date. ¶ Non est tibi pars, neque fors. ¶ .i. salubris euentus. ¶ in sermone isto. ¶ vt scilicet ad manuum tuarum impositionem detur spiritus sanctus. Vel in sermone isto .i. in potestate hac dandi spiritum sanctum. ¶ Cor em

4. Reg. 5.

Mat. 10

tñ nē est rectum corā deo J sed puersum & cupidum
 quod deo reuelante Petrus cognouit, & ex opere Simo-
 nis id pensauit, L Pœnitentiam itaq; age ab hac ne-
 quitia tua & roga deum, si forte remittatur tibi hæc co-
 giratio cordis tui J quia cog itasti cū cōsensu, pecuniā
 sic offerre. Quod ait Petr⁹, si tortenē ideo ait, q̄a p̄c̄m
 Simonis fuit irremissibile, v̄ quia pœnitere non potuit
 sed ad niuēdum, quod grauissimum fuit. Vel vt aliq;
 dicunt, quia in spiritu vidit Simonem pœnitentiam nō
 acturum. Admonuit tamen eum ad hoc, sicut sui officij
 fuit. L In felle enim amaritudinis J id est, obliqua atq;
 nequissima inentione ad gehēnalem amaritudinem de-
 ducente L & obligatione peccati J id est, reatu damna-
 tionis seu prauitate ad inferos obligante L video J. i.
 consydero L te esse J. Hinc spiritus sanctus in specie co-
 lumbæ descendit, vt eos qui se accipere volunt, simpli-
 ces & suaves esse debere doceret. Nempe qui fel amari-
 ritudinis in corde reseruat, quantumlibet baptizatus
 sit, non est iniquitatis suæ vinculis absolutus, sed quasi
 ad punctum hora baptizandi purgatus, mox acriore
 dæmone septemplex est oppressus. Frustra igitur
 spiritus sancti gratiam tentat acquirere, qui sese mente
 coruina non curat exuere. Hinc scriptum est, Non est
 sensus, vbi abundat amaritudo. Et ad Hebræos.
 Paulus. Ne qua radix amaritudinis sursum germi-
 nans impediatur, & per illam inquinentur multi. L Re-
 spondens autem Simon, dixit. precamini vos, p̄ me ad
 dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixi-
 stis J id est, ne peccata hæc mihi ad damnationē impu-
 tentur. Interdum impij verba humilitatem prætendē-
 tia, mente proferunt viciosa, & pro se orari ac sibi ig-
 nosci præcantur non dei amore aut zelo iusticiæ, sed
 timore pœnarum. Est enim qui nequiter se humiliat
 & interiora ei⁹ plena sunt dolo. Sic Achā dixit ad Esaiā.
 Non tenta ho dominum. Et Antiochus se iudæum su-
 turum sponndit. L Et illi, qui dem J videlicet, Petrus
 & Ioannes J testificari J id est, verbis & miraculis verū
 esse testati L & loquuti verbum dei, redibāt Hierosoly-

Lucæ. 3
Ioan. 1.

Eccle. 18
Hebr. 13.

Eccle. 19. 1
Esa. 71.
2. Mach. 9.

Sopho. 7.

mā , & multis ciuitatibus Samoritanorū euāgelizabāt
 prädicando in vrbibus per quas reuertebantur. ¶ An-
 gelus autem domini loquutus est ad Philippum ¶ dia-
 conum ¶ dicens ¶ An apparitio ista atque loquutio fue-
 rit intus an foris exhibita , certum non reor . ¶ Surge,
 & vade contra meridianum ¶ id est , versus plagam
 australem ¶ ad viam quæ descendit ab Hierusalem in
 Gazam hæc ¶ scilicet Gaza de qua loquor ¶ est de-
 ferta ¶ id est, destructa . Hoc dicitur ad differentiam al-
 terius Gazæ, quæ fuit alio loco post prioris Gazæ de-
 structionem ædificata in terra Philistinū ¶ Et surgens
 abiit ¶ prompte obediens , nec causam iussionis inqui-
 rens . Quo informamur , vt subditi superioribus sine
 superflua inquisitione statim obediant , imo olim san-
 cti subditi patribus suis , etiam in his quæ vel irratio-
 nabilia , vel inutelia videbantur , obedierunt celeriter .
 ¶ Et ecce vir Aetiops eunuchus potens Candacis regi-
 næ Aethiopum ¶ Merito homo iste vir vocatur , ab a-
 nimi vigore & virtute , qui tam studiosus in diuinis fu-
 it codicibus , tantumque religionis diuinæ amorē pos-
 sedit , vt aula regali deaurata relicta , a finibus terre ad
 templum Hierusalem properaret . Eunuchus quoque
 vocatur , vel quia castratus vel ob probitatem morum
 & castitatem , quemadmodū ait Saluator . Sunt eunu-
 chi qui se castrauerunt propter regnum dei . Fuit au-
 tem custos thesaurorum reginæ Aethiopum , & (vt in
 Scholastica fertur historia) consuetudo fuit eunuchor-
 um , custodire thesauros potentum . Beda q̄q̄ affir-
 mat , q̄d moris fuit huic Aetiopū nationi , a sceminis
 gubernari , easque Candaces vocari . Ex his patet in-
 tellectus eius quod subditur ¶ q̄ erat super omnes ga-
 zas eius ¶ id est , thesauros ¶ venerat ¶ in curru ¶ ado-
 rare in Hierusalem ¶ . Erat enim vnus veri dei cultor ,
 & ad Iudaismum videtur fuisse conuersus , quia vt sub-
 ditur ¶ Legit Esaiam prophetam ; ¶ vnde perpendi-
 tur , quod & alios libros legis ac prophetarū habuerit .
 Iudæi autem per mundum dispersi , quosdam gentili-
 um hinc inde conuerterunt , qui certis temporibus ve-
 nerunt ad templum Hierusalem adorare deum , quæ ad-

Mat. 19

modum etiam in Iohāne legitur, quod quidā gētilium
 venerunt ad diem festum. Et secundo Machabēorum
 narratur, quod templum Hierusalem fuit per totum or-
 bem venerabile & famosum. L Et reuertebatur Ide tē-
 plo ad propria L sedens super currum suum, legensq;
 Esaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo J
 hoc de locutione interna accipit Beda. Potestque per
 spiritum hoc loco intelligi angelus, qui paulo ante lo-
 quutus fuit Philippo, & item spiritus sanctus, cuius
 instinctu agebatur Philippus. L Accede & adiunge te
 ad currum istum. Accurrens autem Philippus audiuit
 eum legentem Esaiam prophetam, & dixit. Puras ne in-
 telligis quæ legis? Et dixit. Quomodo possum, nisi a-
 liquis ostenderit mihi? J Quæritur qua lingua
 loquebantur isti ad inuicem. Et de Philippo non du-
 bium est, quin donum linguarum acceperit sicut apo-
 stoli. Idcirco potuit effari eunuchum in lingua illius
 De eunuchō autem incertum est, an sciuit linguam He-
 bræam, & an textus Esaiæ quem legit fuit verbis He-
 braicis scriptus an Græcis. Nam eo tempore transla-
 tio septuaginta fuit famosa. Solent autem officiales
 regum & reginarum diuersas discere linguas. L Ro-
 gavitque Philippum vt ascenderet & sederet secum. J
 Ex apparatu nempe Philippi considerauit quod vir es-
 set religiosus. L Locus autem scripturæ quam lege-
 bat erat. Tanquam ovis ad occisionem ductus est, &
 sicut agnus coram tondente est sine voce, sic non ape-
 ruit os suum J Ista ad literam de Christo in Esaiā scri-
 pta sunt. Christus enim cum mansuetudine summa,
 mititate & taciturnitate ad locum iuit supplicij, quam
 uis paucissima quædā uerba in uia ad mulieres protule-
 rit. Ipse est agnus de quo dixit præcursor, Ecce ag-
 nus dei, qui tollit peccata mundi, qui per Hieremiam
 profiteretur. Ego quasi agnus innocens qui portatur ad
 uictimam. Atque in Psalmō: Quasi lugens & contri-
 status sic humiliabar. L In humilitate iudiciū ei⁹ sublatū
 est. I. i. Christus ob humilitatē, paupertatē et abiectionem
 p̄ nob̄ accepit, cōtēptus est & iniuste dijudicatus, seu

Esaiæ. 53

Ioannis .i.
Hier. .ii.)
Psalm. 34.

IN ACT. APOS. EXEG.

iusto iudicio spoliatus. Allegat autem Lucas scriptu-
 ram hanc secundum translationem 70. Nostra vero
 translatio habet sic. De angustia & de iudicio sublatus
 est, id est, de anxietate, pœnaque mortis, & de iudicio,
 quo ab impijs adiudicatus est morti, vel de iudicio,
 quo cæteri sancti detinebantur in limbo liberatus est
 Christus a morte resurgens, & victor ascendens ad pa-
 trem. ¶ generationem eius quis enarrabit? ¶ quasi di-
 cat, perfecte enarrari & comprehendi nequit. Quod
 de generatione Christi æterna atque diuina certissi-
 mum est. Incarnationis quoque mysterium incom-
 prehensibile extat, nec effari quis potest plenarie, quo
 modo inuariabilis æternusque deus de nouo sit ex vir-
 gine natus, Quomodo diuina & humana natu-
 ra in Christo hypostatice sunt vnitæ, qualiter clauso
 prodit vtero. Insuper generatio Christi, spiritalis,
 videlicet multiplicatio fidelium per baptismi regenera-
 tionem, ac fidei susceptionem, mira est nimis. Max-
 imum namque miraculum est conuersio mundi ad rami-
 arduam legem, & incomprehensibilem fidem, & quod
 illum mundus pro deo vero adorat, qui tam turpissi-
 ma morte occisus est. Hinc sequitur. ¶ quoniam tol-
 letur de terra vita eius ¶ id est, ipse occidetur, & de ho-
 minum in terra viuentium consortio auferetur. Nō
 casu, sed spiritus sancti dispositione hunc passum Esaię
 legit eunuchus, vt hac occasione conuententius atque
 facilius induceretur ad fidem. ¶ Respondens autem
 eunuchus Philppo, dixit. Obsecro te, de quo prophe-
 ta dicit hoc, de se an de alio aliquo? ¶ Magna fuit
 studiositas huius gentilis, & eius diligētia nostram cō-
 fundit pigritiam, qua sacras scripturas negligimus dis-
 cere. ¶ Aperiens autem Philippus os suum ¶ tanquā
 ordinate & de magno mysterio loquuturus ¶ & incipi-
 ens a scriptura ista, euangelizauit illi Iesum ¶ quid de
 eo esset credendum. ¶ Et dum irent per viam ¶ nō
 pedestres, quia in curru sedebant, sed ibant per viam,
 quia vehiculo illo processerunt in via ¶ venerunt ad quā-
 dā aquā ¶ Et ait eunuchus. Quis me prohibet baptizari? ¶

q. d. rōnabile impedimētū nō occurrit. ¶ Dixit autē ei Philippus. Si credis ex toto corde. ¶ Intellectū tuū totaliter subiicis fidei, & nulla tibi inest dubitatio de fidei veritate. ¶ licet ¶ te baptizari. Hinc adulti dum baptizandi sunt fidem suam profitentur, pro infantib⁹ aut respondent leuātes de fonte. ¶ Et respondens ait. Credo dei filium esse Iesum. Et iussit stare currum. Et descenderunt vterque in aquam, & baptizauit eum. ¶ Eunuchus vtrique magnam secum familiam habuit, nec tñ coram illis se nudare, ac lauari erubuit, dum corā deo de proprijs verecundabatur peccatis. Quo confundunt qui hominum magis quam dei reuerentur, aut verentur aspectum. ¶ Cum autem ascendisset de aqua, spirit⁹ domini rapuit Philippum. ¶ id est, de loco illo ad aliū subito mirabiliter transtulit. Et per spiritum domini, Hieronymus angelum dei intelligit. Estque simile qd in Daniele de Abacuk scribitur, qualiter angelus de Iudæa in Babylonem tulerit eum pilo capitis sui. Quidā vero per spiritum domini, spiritū sanctum accipiunt, sed primum est melius, per subiectam quippe creaturā fecit hoc omnipotentia spiritus sancti. ¶ & amplius nō vidit eum Eunuchus. ¶ Irepente enim & celerrimo motu disparuit. Denique totum hoc ad confirmationē fidei in eunuchō peractum est, vt per tam mirabilem raptū sciret eunuchus, quod diuino nutu Philippus ad ipsum deuenerit, estque credibile, quod Philippus dixit eunuchō iam credenti, quomodo angelo imperante venisset. ¶ Ibat autem per viam suam gaudens. ¶ id est, eunuchus cum ingenti recessit læticia, quod tantam circa se prouidentiam dei, pietatem & gratiam esset expertus, Nec dubium quin spiritus sanctus singulari consolatione, perfectione, & gratia, cor eius impleuerit. Et forte reuersus ad propria, quosdam suæ gratiæ fecit participes eos conuertendo ad Christum. ¶ Philippus autem inuentus est in Azoto. ¶ forte vsque illam Philistinorum urbem transtulit eum spiritus domini. ¶ & pertrāsrens euangelizauit ciuitatibus cūctis. ¶ quas habebat in via obuias sibi. ¶ donec veniret Casareā. ¶ scilicet Pa

Danie. 14.

lestinae in qua habuit domum, quae ut asserit Beda, usque hodie demonstratur. Cubiculum quoque filiarum eius virginum prophetissarum, de quibus infra habet sed demonstrationem illam, puto ad tempus praeteritum referendam. An vero iam ita sit, nescio.

Elucidatio capituli noni. Saulus adhuc spirans.

Articulus nonus

Circa principium praecedentis capituli dixit Lucas. Saulus autem deuastabat ecclesiam, nunc ad illud verba sua continuans, prosequitur quod incepit. ¶ Saulus adhuc spirans minarum, & caedis ¶ id est, minas & percussiones ex intimis suis effundens ¶ in discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas ¶ deferendas a se ¶ in Damascum ad synagogas ¶ id est, Iudaeorum congregaciones ibi manentes ¶ ut si quos inueniret huius viae ¶ scilicet, euangelicae legis ¶ viros ac mulieres, vincetos perducerent in Hierusalem ¶ ut sibi iuxta decretum pontificis punirentur. ¶ Et cum iter ageret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subito circumfulsit eum lux de caelo ¶ fuitque lux illa sensibilis, quam viderunt gradientes cum Paulo, ut infra habetur, & per circumfulgentiam istam sensibilem, insinuabatur, quod intellectualem luce fuit intus mox pertundendus, cuius necdum extitit capax ¶ & cadens in terram ¶ praepaore, stupore, & admiratione, nesciuit enim quid ei acciderit, aut quid circumfusio illa tam repentina atque insolita designaret ¶ audiuit vocem dicentem sibi. Saule Saule, quid me persequeris ¶ Tanta est dilectio & vnitas Christi ad suos fideles, qui & mysticum Christi corpus vocantur, ut quicquid boni aut mali fuerit illis irrogatum, sibi reputet factum. Quemadmodum in euangelio ait. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, nudus fui & non operuistis me. Et item. Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Sic & p Zachari. denunciat. Qui tetigerit vos, tetiget pupillam oculi mei

Matt. 25.

Zacha. 2.